

nem habentes reperiunt. Sunt qui tradant, utranque classem ex occurſu fuiſſe ante Drepanitanum portum ſibi obvias. Sed ſive hoc ſive illo modo ſit factum, ſatis convenit, hinc inde naves ad pugnam inſtructas proceſſiſſe. Verum aliquanto avidius, atque ob id fortasſe incautius a Genuenſibus concurſum: quippe qui nil magis, ex quo domo proſecti fuerant, timere, quam ne Venetus, cum quo dimicare poſſent, reperiretur. Ut viribus pene paribus, ita etiam animis prælium continuo initum: hinc odium, inde laudum cupiditas vires utrorumque accendebat: tam hi, quam illi pulchrum ducebant, in Siculorum conſpectu æquis viribus congreſſi oſtendere, uter populus virtute bellica reiſque maritimæ ſcientia præſtaret. Diu ancipiti Marte pugnatum: demum Genuenſium fortuna inclinante, tanta fuit animorum pertinacia, ut mori prius, aut alia vi opprimi paſſi ſint, quam fugam turpiter tentare. Quatuor & viginti triremes captæ: reliquæ combuſtæ, aut alto mari media pugna depreſſæ dicuntur. Duo millia quingenti & amplius Genuenſium viri in victoris poteſtatem venerunt: mille & ducenti ferro abſumpti, reliqui fluctibus, aut alia vi periire. Nec victoria Venetis incruenta fuit: ſed ſi qua clades eſt accepta, tam inſignis victoriæ lætitia, ne ſentiretur, effecit. Et quia ea pugna Genuenſium opes fractæ credebantur, Palæologus, qui eorum ſocietati ad eam diem ſtuduerat, cum Venetis in quinquennium paciſcitur inducias. Ipſi vero poſt Drepanitanam victoriam triremes unam & viginti Methonem ad maritimam oram tuendam miſerunt: audiverant, credo, ea loca Ligulicarum curſu infeſtari. Forte ita accidit, ut hoſtium naves per eos dies prædandi ſtudio Methonem verſus curſum intendiſſent: quæ, audito Venetæ claiſſis acceſſu, ſua celeritate fretæ, continuo retro fugientibus ſimiles abiire. Nec hoſtium fuga Venetos ſefellit: ſed portu ſtatim eduſtis navibus, fugienti Liguri inſtare cœperunt. Ille vero memoria Siculæ cladiſ territus (quia ab initio pugnam detrectare fuit in animo) remis innixus in Rhodiæ portum incolumis abiit; atque hinc non multo poſt proſectus, navim Venetam unam

*Palæologus
cum Venetis
ſædus
perculit.*